



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 33. Sacri milites in Francia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](#)

cum, antea Imperatorem, materialem ad- Sæcul. XIII.  
hibeamus gladium, sed spirituali solum u- A.C. 1245.  
temur. Non vos tangent sermones ob i-  
gnorantiam veritatis perhibentium, nos con-  
tra hunc Ecclesiæ inimicum ex præmatu-  
ra festinatione tulisse sententiam. Nec enim  
meminimus, ullam aliquando causam tam se-  
dulo examinatam, & a viris tam doctis pro-  
bisque expensam esse, usque adeo, ut secre-  
tis in consultationibus aliquot Cardinales  
personam advocati, quidam pro eo, alii  
contra illum gererent, quo penitus veritas  
sicut in disputationibus scholasticis indaga-  
retur: & nos nullum invenimus medium si-  
ne offensa Dei, damno Ecclesiæ, ac con-  
scientiæ lœsione agendi aliter, quam fecimus  
cum dolore ac commiseratione Principis.  
Hoc proin judicium insuperabili conslan-  
tia tuebimur, atqne si nobis & fratribus  
nostris id opus erit, vitam dabimus pro  
causa Dei ac Ecclesiæ. Monachi Cister-  
cienses acceptis his litteris detestaban-  
tur Friderici partes, ac Summo Pontifici  
se arcte conjungebant, orantes Deum, ut  
suam conservaret Ecclesiam. Eorum  
vero authoritas adhuc magna in orbe  
erat.

### §. XXXIII.

#### *Sacri milites in Francia.*

Mense Augusto 1245. Papa ob preces Duchesne  
S. Ludovici Parisios ut Legatum <sup>to. 5. p. 344.</sup>  
II 5 mise- Matth. Par.  
<sup>p. 600.</sup>

**Sæcul. XIII.** miserat Odonem Castro-Radulphianum  
A.C. 1245. Cardinalem Episcopum Tusculanum, &

Jacobi Vitriacensis successorem. Odo  
Castri Radulphii in Gallica Biturigum  
provincia natus, Ecclesiæ Parisiensis Ca-  
nonicus fuerat & Cancellarius. Cau-  
legationis erat Gallorum Nobilium ex-  
hortatio ad sacram militiam, ut Hiero-  
solyma Coresmianis eriperetur. Post-  
quam advenerat, Rex octavo a festo  
S. Dionysii die scilicet sub medium Octo-  
brem Parisiis magnum habuit Senatum,  
in quo plurimi Præfules Proceresque  
Franciæ comparebant. Ibi Legato ac  
Rege authoribus tesserariam crucem in-  
duerunt Juhel Archiepiscopus Turon-  
ensis, Philippus Archiepiscopus Bituricen-  
sis, Robertus Episcopus Bellovacensis,  
Garnerius Laudunensis, Guilielmus Au-  
relianensis, Robertus Artesiæ Comes,  
Regis frater, Hugo Castellionius Polia-  
ensis ac Blesensis Comes, Gaucherius  
ejus nepos, Joannes Comes Barensis, Pe-  
trus Britanniæ Comes, Joannes ejus fi-  
lius, Hugo Marchiæ Comes, Joannes  
Montefortius, Radulphus Coccius, ac per-  
multi alii tam Clerici quam laici, qui  
diversis diebus symbolicæ crucis mili-  
tiam iniere.

§. XXXIV.